C VIRES. EX DIOSCORIDE.

Potest fructus antequam penitus inarescat collectus, tusus, & in fictili uase recon ditus, capillos flauos reddere, si quis cum usus exigit tryblij pondus ex eo sumens, tepidaq; aqua madefaciens, nitro prius capite præparato illinat. Alij cũ uino tusum ipsum reponunt. Fructus etiam cõmodè tumoribus illinitur.

EX GALENO.

Xanthion uocatur etiam Phasganion. Fructus discutiendi facultatẽ obtinet.

DE XYLO▸ CAP▸ CCXX▸

NOMINA.

Gossipion. Cotum. Cotonium. Cotonum. Xylinæ ue • stes. Lana lignea.

XYLON & Gossipium Plinio & alijs Latinis dicitur. Græci, quod sciam, eius nusquam meminerunt. Barbaris ac Arabibus Cotum & Bombax seu Bombasum, Germanis Baumwoll appellatur. Linum eius coto nium uulgò uocatur, sicut lanugo ipsa cotonũ. Ab huius generis plan ta uestes xylinæ, & lina xylina nominata sunt. Iurisconsulti lanam hanc ligneam nuncupant.

FORMA.

Frutex est exiguus, folio uitium, sed minore, floribus luteis in medio purpura scentibus, fructu barbatæ nuci simili, lanugine pleno, quę netur in linum candidis simum, mollissimumq;. Nux autem ipsa cum hiascens fatiscit, lanuginis globos repræsentat.

LOCVS.

D Superior pars Ægypti in Arabiam uergens, Plinio lib. xix. capite primo teste, fruticem hunc gignit. In Creta etiam nascitur, & in Apulia, ac Maltha prope Sici liam insula. Nunc in Germaniæ nostræ hortis plantatur, ut plurima alia peregri na, nobis antea prorsus incognita.

TEMPVS.

Tam fertilis hic frutex est, ut simulatque adoleuit, quod duorum mensium spa cio accidit, nunquam desinat florem & fructum proferre, donec asperitate & incle mentia hyemis impediatur.

TEMPERAMENTVM.

Arabes, ut annotauit Serapion, fruticis huius lanuginem calidam & humidam esse statuunt.

VIRES EX ARABIBVS.

Foliorum succus medetur infantium alui profluuio atque torminibus. Semen tussi & thoracis uitijs. Oleo seminis emaculantur lentigines & faciei pustulæ. Se men etiam eius genitale semen procreat.

DE PARTHE-

XYLON